

Paride , infelix ipsis extitit. *Draco volans est Meteorum Ignitum, Draconis volantis speciem exhibens.* Draco volans appellatur hoc Meteorum, quia Draconem eumque volantem quodammodo repræsentat. Quæ quidem figura inde oritur, quia effluvi-um sulphureum, quod hîc accenditur, partes habet dissimiles, quarum mediæ densiores, extremæ subtiliores sunt: unde illæ quidem ventrem, hæ verò caput & caudam Draconis referunt. Vulgus & imprimis mulierculæ, quia hoc Meteorum non æquè crebrò conspiciunt, & quia causas naturales ignorant, visò eò, Cacodæmonem volitare credunt. Quem quidem ajunt conjuratis suis lac, frumentum & id genus plura, hominibus aliis ablata, adferre: ipsos verò conjuratos vicissim obligari, ut ipsi lac moderatè calefactum apponant. Sed vulgi sunt svavisomnia. Interdum quidem Dæmonem cum hoc Meteoro se conjungere, & in eo cultum à mancipiis suis expetere posse, non negamus: in se tamen ipsum Meteorum naturalibus causis nititur. Unde nec is, cujus camino Draco insidet, statim pro malefico, sicuti iterum plebs insipida statuit, habendus est. Cùm enim fumus è camino prodiens plurimos in se contineat igniculos, ideò Meteorum hoc sese cum eo, propter consensum naturalem, haud difficulter conjungit.

§. V.

Fulmen est Meteorum Ignitum, intra nubes, ex sulphuris & nitri pugnâ, genitum, & ex iis violenter per aërem ad terram detrusum. Fulmen quasi fulgimen dictum volunt.
Tota